



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

58.

DISSERTATIO

DE

SOCIALITATE,  
PRIMO NATURALIS  
JURIS PRINCIPIO.

Occasione *l. 3. D. de justitiâ*  
*et jure.*

PRÆSIDE.

JOH. NICOLAO  
HERTIO,

J. U. D. ejusdemque PROFESS. ORDINAR.  
MERITISSIMO, JCTO FAMIGERATISSIMO,

DN. PATRONO ac PRÆCEPTORE  
*suo nullo non honoris et obsequii cultu atatem prosequendo.*



publicè proposita

JOH. CAROLO BAUERO, AB EYSENECK,  
Moeno-Francofurtensi.

d. Septembr. M DC XCIV.

---

GISSA-HASSORUM,  
Typis HENNINGI MÜLLERI.



*Serenissimi & Potentissimi Principis*  
*ac DOMINI,*

DOMINI  
CAROLI,

HASSIÆ LANDGRAVII,

PRINCIPIS Hersfeldiæ,

&c. &c. &c.

*PERILLUSTRI ac GENEROSISSIMO*  
DOMINO,

DN. BROSTRUP  
à SCHÖRT,

Tormentorum bellicorum Generalis  
Legato,

Ordinis Equestris Dannebrogici Equiti,  
Sedisque Principalis quæ Cassellis est Gubernatori,  
Heroui incomparabili,  
Fautori ac Patrono maximo,

Agnato ad cineres usque omni honoris ac obsequii  
cultu prosequendo,

Vitam Longam,  
Gloriam immortalem,  
Fortunam perpetuam,  
Prosperos Rerum Consiliorumque Eventus,

ET

Quicquid bonorum exoptari poterit,  
precat,  
in simulque

Hos studiorum suorum qualescunque profectus,

In signum

Obsequii sempiterni

Dicit, Dedicat, Consecrat

seque


Ulteriori licet immerito favori

Commendat

Servus ac Clientis humillimus

Johannes Carolus Baur

ab Eyseneck.



J. J.

DE

SOCIALITATE, PRIMO NATU-  
RALIS JURIS PRINCIPIO.

SECTIO I.

*Demonstrat Socialitatem.*

§. I.



Ria illa juris præcepta, quorum Imper. in §. 3. 1. *de just. & jure* meminit, prima non esse facile evinci potest: nam quid honestum sit, quid inhonestum, aliunde pendet atque intelligitur; à lædendis verò aliis abstinere, & cuiq; suum tribuere, ex socialitate, quam *δικαιοσύνη* (forte quod, *δικαίον ἀποδοῦμαι ἑκάστῳ, suum cuique tribuit.* Ut de ju-

stitia dicit Aristotelis Paraphrastes ad 9. *Eth* 3.) Stoici vocabant, fuit. Sic enim Florentinus Jctus in l. 3. D. *de just. & jur.*

*Cum inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse.* Dignissimus profectò locus, quem diligentius excolamus, præsertim cum non desint hodie, qui vel socialitatem, quam Jctus cognationem nuncupat, vel eandem principium esse notionum in naturâ positarum negent.

§. II. Videatur Florentinus, (quod de aliis quoque Romani juris auctoribus jam dudum viri summi observaverunt. V. Em. Merillium 1. *obs.* 12. *sequ.*) à Stoicis philosophiam hanc didicisse. Nam & Stoici *Naturæ* vocabulo Deum significabant. Seneca 4. de

benef. 7. *Quid aliud est Natura, quam DEUS, & divina ratio totius mundi & partibus ejus inserta? & natural. quæst. l. 3. c. 4 5. Vis illius Naturam vocare? non peccabis. Est enim ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu vivimus. Nec dubitavit Chrysoſtomus 1. Cor. 11, 3. eadem appellatione uti. Όταν δὲ ἐπὶ τὴν φύσιν θεοῦ λέγω ὁ γὰρ τὴν φύσιν δημιουργίας αὐτὸς ἐστίν. Cum naturam dico, Deum dico: ipse enim natura opifex. V. & Hilliger 1. D. E. c. 7. Lit. A. Idem Stoici cognationis illius sive συγγενείας passim meminerunt. Unum audiamus Antoninum Imperatorem ac summè Philolophum l. 3. de rebus suis §. 4. loquutum de homine: μέμνησαι καὶ ὅτι συγγενὲς πᾶν τὸ λογικόν καὶ ὅτι κηδεσθαι μὲν πάντων ἀνθρώπων κατὰ τὴν τῆς ἀνθρώπου φύσιν ἐστίν. Meminit cognatum rationale esse omne: & natura ipsius humana rationem ab unoquoque exigere, ut hominum quorumvis curam habeat. & l. 12. §. 26. Ὅση ἡ συγγένεια ἀνθρώπων ὡς πᾶν τὸ ἀνθρώπιον γένος, ἐκ αἱματός, ἢ σπερματός, ἀλλὰ καὶ κοινωνία. Quæ homini cuiusvis cum toto genere humano intercedit necessitudo, non tam sanguinis ac seminis quam mentis existit communio. Ad quæ loca & ad l. 2. §. 1. plura accumulat vir doctissimus Thomas Gatackerus Anglus. Philo, qui Stoicos libenter sequi solet, vocat ἐν τῇ ἱστορίᾳ Μωσὶς ἀδελφάτω καὶ κοινὴν συγγένειαν summam communemque inter homines conjunctionem. Seneca verò eadem, quæ J. C. ius, collectione persæpe utitur ep. 69. Omne hoc quod vides, quo divina & humana conclusa sunt, unum est, membra sumus corporis magni: natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hac amorem nobis indidit mutuum, & sociabiles fecit: ita æquum iustumque composuit, ex illius constitutione miserum est nocere, quam ladi, ex illius imperio parata sunt iuvantis manus. & 2. de irâ c. 31. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculis? ut omnia inter se membra consentiant, quia singula servari totius interest; ita homines singulis parcent, quia ad cæctum geniti sumus: salva autem esse societas nisi amore & custodia partium non potest. Adde ep. 48. l. de irâ 7. 4. de benef. 18. Neque Philolophiam hanc Aristoteles ignoravit, cuius illa tris est locus l. 7. ad Eudem. c. 10. ἔ μόνον πολιτῶν ἀνθρώπων ζῶον ἐστίν, ἀλλὰ καὶ οἰκονομικόν, καὶ κοινωνικόν, ὡς οἱς φύσει σύγγενεία ἐστὶ καὶ κοινωνία. ἐν τοῖσιν καὶ δικαίον τὴν μὴ πάλιν εἶναι. Non solum homo est animal civile, sed & domesticum, & sociabile; inter*

*inter quos natura cognatio est & societas. Igitur profectò & iustum quid est, tamen societas nondum existat.*

§. III. Socialitatem hanc sive cognationem inter homines ut probet H. Grotius, ex tribus, quæ in prolegomenis librorum de iure belli & pacis profert, argumentis, *primum* desumit ab indole cæterorum animantium, quorum aliqua utilitatum suarum studium partim sætuum suorum partim aliorum congenerum respectu aliquatenus temperent. Quorsum etiam pertinet vetus illud verbum: *Canis caninam non est. Secundum* ab actionibus infantum, in quibus ante disciplinam omnem ostendat se ad bene aliis faciendum propensio quædam, prudenter infiliolâ suâ à Plutarcho observata. *Tertium* à consideratione hominis perfectæ ætatis, qui peculiare solus inter animantes instrumentum habeat sermonem, ut societatem cum excellentiâ quadam & humano intellectui convenienter appetat. An verò ex hisce argumentis homines inter se naturali societate contineri apodiicticè probetur, valdè dubitamus; imprimis si ferarum natura cum ab hominum ingenio tum inter se plurimum discrepans, vagæ & malè sibi constantes infantum puerorumque actiones, & denique sermonis commercium turbandis æquè ac promovendis societatum commodis accommodatum considerentur.

§. IV. Quare Sam. Pufendorf. V. Cl. argumenta peterè maluit partim ab humanâ indigentia, partim à proclivitate hominum ad vitia & nocendi facultatem; adversum quæ firmitus præsidium sit nullum, quam si homo cum sui similibus jungatur, & erga eosdem ita se gerat, ut ne probabilem causam accipiant ipsum lædendi, malint potius ejus commodis velificari. Quò & Senecæ illud *ep. 103.* pertinet. *Tu ita cogita, quod ex homine sit periculum: ut cogites, quod sit hominis officium. Alterum intueri, ne ledaris; alterum ne ladas.* Et proluxa Ciceronis dissertatio 2. *Offic. à princ.* ubi enarrat quibus modis homines hominibus prosint atque obsint. At enim verò nec hæc demonstrandi ratio satis efficax esse, saltem non nisi in turbâ aliorum argumentorum valere videtur. Etenim hinc colligi posset, Socialitatem neutiquam ad univèrsum genus humanum se porrigere, imò intra fines multò angustiores pro modo utilitatum contineri: atque adeo latrones ac imperia, ad fundendum sanguinem externosque opprimendos facta, habere quemadmodum



dum se excusent, si domi munimenta sibi circumponant rerumque abundantiam parent, de cætero pacatè inter se atque innocentè degant, in omnes autem alios hostili ac infestò animò ferantur.

§. V. Nobis hæc demonstrandi ratio placet. Homo est animans nobilitate naturæ supra bestias longè constitutum: *Et omni miraculo, quod fit per hominem, majus miraculum est homo, ut cum Augustino loquamur 10. de civit. Dei c. 12. Quam singularem divini Numinis curam circa opificium humanum etiam Pagani agnovere. Seneca 4. de benef. 23. Scias, non esse hominem tumultuarium & incogitatum opus. Inter maxima rerum suarum natura nihil habet, quò magis gloriètur. Idem 1. de irâ §. hominem optimum & commendatissimum natura opus, Pythagoreus apud Stobæum serm. 101. πολυτέλεστον ζῶον Plato in Timæo τὸν ζῶον κάλλιστον vocant. Inter cætera excellunt in eo vis intellectrix, tantâ quidem arte domicilio suo inserta, ut quo pacto ibi se explicet ac operetur, nullo ingenio ratione nullâ investigari possit. Accedunt tot alia communicandi instrumenta, ad colendam sociale vitam opportunissima. Quibus facultatibus non potest non unusquisque intelligere, se à Deo productum, & tantam mentis vim singulis collatam, ut divino Numine cognito inter se placide & justè vitam agerent, cultû omni ac veneratione Deum prosequentes & sese mutuâ benevolentîâ complectentes. Ecquis enim tanta dona hominibus frustra credat attributa? *Utrumnam* exclamat Aristoteles 1. Eth. 7. *fabri & sutoris aliquod est opus, & aliqua actio, hominis verò erit nulla, atque ad desideriam is inertiamque natus reperietur? An potius ut oculi, manus, pedis, singularumque adeo partium suarum cuiusq; opus ac munus est, sic hominis quoque præter hæc omnia aliquod opus esse atnemus?* Jam discedamus quisque ad se. Nullus sanè non clama sibi data ægrè accipit, adeoque jus ea inferendi in alio fuisse negat. Secundum Senecam 3. de benef. 1. *de ingratis etiam ingratis queruntur.* Nectemerè Augustinus 2. confess. 4. *Quis fur aquo animo furem patitur?* Chrysostomus XIII. de Statuis. Καὶ γὰρ τὸ συναρνακτεῖν τοῖς ὑβριζομένοις φυσικὸν ἀπαντες ἔχομεν. ὑδέως ἔν τοῖς ἐπειρεῖζουσιν ἐχθροὶ γινόμεθα, καὶ μὴδὲν ὤμεν αὐτοὶ πεπιδόεσ. *Natura id habemus, ut indignationem nostram cum iis jungamus, qui malè tractati sunt. Illico enim injuriosis hominibus insensis**

*non, etiamsi ad nos nulla pars injuria pervenit.* Publius Mimus

*Etiam qui faciunt, odio habent (alii legunt, odiunt) injuriam.*

Hoc autem animo cum singuli sint, qui rectæ rationis usum habent, manifestissimâ ratiocinatione intelligitur, homines juris communione connecti, & ut Cicero 3. de finib. loquitur, communem hominum inter homines naturalem esse commendationem, ut oporteat hominem, ob hoc ipsum quod homo sit, non alienum videri. Verbo: faciendum alteri quod nobis velimus fieri: non faciendum alteri, quod pati nos nolumus. Quam sententiam non tantum Servator noster, sed & Pagani, ut Mæcenas Augusto apud Dionem Cassium, Alexander Imperator apud eundem Cassium, & qui latinè ejus Imper, vitam scripsit, Ilocrates ad Demonicum & in sociali commendaverunt. Eandem euidam, qui profelytus fieri voluerat, Hillelém dixisse in Corpore Talmudico *Shabbot*, teste Chr. Carwright l. 2. Mellif. Hebraic. c. 2. legitur: *Quod tibi est odiosum, proximo tuo ne facias.* Hac est tota lex, & alia non sunt nisi ejus explicatio. conf. Pufendorf. 2. de jur. N. & Gent. c. 3. §. 13. Agnoverunt hoc tandem ipse Hobbesius & Gassendus, quos cur copulemus, facile eruditis constat. Illius verba sunt c. 14. de homine §. 5. c. 3. de cive §. 26. in Leviath. c. 15. *Deum eo ipso, quod rationales fecerit homines, eis mandata quaedam præcepisse, ne quisquam quidquam faceret, quod alium sibi facere iniquum duceret.* Hujus libro 2. Ethicor. *Hac lex (quod tibi non vis fieri &c.) una omnes leges societatis sic continet, ut nemo violet alienum jus, nisi qui hanc legem violat. Utque ipsa proinde sola pro regula haberi possit omnium omninò qua ad alterum referuntur humanarum actionum. Nimirum, cum quisque jus suum sic velit incolere, ut violari ipsum ab aliis nolit, debet ipse idem cogitare de aliis, ac se eorum habere loco, ut quid sibi faciendum sit, aut non faciendum, intelligat.*

§. VI. Simili ferè argumento usus est Antoninus Imperator l. 4. de Rebus suis §. 4. *Ἐὶ τὸ νοεῖν ἡμῖν κοινὸν, ἢ λόγῳ καθ' ὄν λογικοί ἐσμεν κοινός ἐὶ τῆτο, ἢ ὁ προσαδικὸς τῶν ποιητέων ἢ μὴ λόγῳ κοινός ἐὶ τῆτο ἢ ὁ νομος κοινός. Ἐὶ τῆτο πόλιταις ἐσμεν ἐὶ τῆτο πολιτεύματις τίνος μετέχομεν.* Si intellectus nobis communis est, etiam ratio, quæ rationales dicimur, communis est: Si ratio, etiam

ea, qua quid agendū quid omittendū prescribit ratio communis est: Si hac, lex quoq; communis est. Hoc si conceditur, civis sumus: & hoc dato, politia alicujus participes. Nec longè abit sed diffusior Cicero- nis 1. de LL. dissertatio, dignissima sapiente, & quidem Romano, ex quā nonnulla ut excerptamus operæ pretium videtur: *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem, præclarè quædam ratione generatum est à supremo DEO.* ( Adde de cōpacitate humani ingenii ad omnes artes præclarè differenter Augustinum l. 22. de civit. Dei c. 24.) *Solum est enim ex tot animantium generibus atq; naturis particeps rationis & cogitationis, cum cetera sint omnia expertia. Quid est autem non dicam in homine, sed in omni cælo atque terrâ ratione divinius? quæcum adolevit atque perfectâ est, nominatur rite sapientia. Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eoque & in homine & in DEO, prima homini cum DEO rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quæcum sit lex lege quoque consociati homines cum Diis putandi sumus. Inter quo. porro est communio legis, inter eos communio juris est. Quibus autem hæc sunt inter eos communia, & civitatis ejusdem habendi sunt. Hoc executus pluribus, ostendens DEI cum homine similitudinem, & præclarè considerans nobilissimam hominis structuram, pergit: Sunt hæc quidem magna, quæ nunc breviter attinguntur, sed omnium, quæ in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profecto præstabilius, quàm planè intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione sed natura constitutum esse jus. Id jam patebit, si hominum in- eer ipsos societatem conjunctionemq; perspexeris. Nihil est unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus. Quod si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocunque capisset: sui nemo ipse tam similis esset, quàm omnes sunt omnium. Itaque quæcumque est hominis definitio una in omnes valet. Quod argumenti satis est, nul- lam dissimilitudinem esse in genere. Quæ si esset, non una omnes de- finitio contineret. Etenim ratio, quæ una præstamus belluis, per quam conjecturâ valemus, argumentamur, refellimus, differimus, confici- mus aliquid, concludimus, certè est communis, doctrinâ differens, di- scendi quidem facultate par. Nam & sensibus eadem omnia compre- hendun-*

*henduntur, & quæ movent sensus itidem movent omnium: quæque in animis imprimuntur: interpretæque est mentis ratio, verbis discrepans, sententiis congruens. Nec est quisquam gentis ullius, qui nudam naturam nudus ad virtutem pervenire non possit. Nec solum in rectis sed etiam in pravis insignis est humani generis similitudo. Quod ab Aristotele iisdem fere verbis dictum 8. Ethic. 1. cum pluribus exposuisset, subjicit: Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit?*

§. VII. Huic argumento cætera, quæ supra velut probabilia attulimus succenturiari nihil vetat. Hanc dubiè enim naturæ Auctor pluribus modis rationibusque hominem ad socialitatem eidem summe necessariam voluit incitari. Ita inter animantia cætera nullum congenere eget, ut homo homine. Illorum enim unumquodque suis est instructum armis, & fere ut natum est ad tuendam vitam sibi sufficit: at solus homo nudus prodit, imbecillus, tenuis, inermis, mollissimâ carne & cute levi; sed nec fari novit, nec ingredi, nec cibum capere, vagitu tantum implorat opem, sed eo rudimentò, ut quidnam velit ignoret: & ad recipiendâ nutritionis fomenta tam se non præparat, ut etiam adhibita plerunque aversetur. Adeoque miserimus erit, si velut sibi relictus & ab omni consortio humano seclusus consideretur. Peribit enim, nisi brutum aliquod animal misero ubera præbuerit. Uti exempla sunt apud Ælianum & Poetas. Quod ipsum tamen cum brutis contubernium non parum ferinæ indolis alumno affricabit. Cujus specimen capere est ex historiâ pueri à captâ educati, quem vidisse se memorat Procopius *II Gothicorum*. Adde quoque exemplû apud A. Supplem. Schaffnaburg. ad A. 1344. & aliud recens apud D. Hartknoch, l. 1. de Polon. c. 2. p. 108 Argumento hoc etiam alii usi. Seneca 4. de benef. 18. *Quæcunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem armata sunt. Hominem imbecillitas cingit: non unguum vis, non dentium terribilem cæteris facit. Lactantius l. 7. c. 4. Cæteris animantibus quia sapientia non data est, munita indumentis naturalibus & armata sunt. Homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem solam dedit. Itaque nudum formavit & in-*

ermem, ut eum sapientia & muniret & tegeret. Paullo minor quidem est miseria in locum desertum per naufragium aut aliorum injuriam ejeti, quatenus memoriam cultioris vitæ artiumque notitiam retinuit. Sed hæc ipsa rerum præteritarum in solitudine & rerum omnium egestate memoria majus fastidium causabitur. Cujus rei imaginem intueri licet in flebili historiâ, quam Belleforestus *histoire Tragique tom. 6. c. 107. fol. 106.* consignavit de juvene cum nobili virgine in insulam S. Spiritus ob delictum navarchi jussu exposito. Vere Seneca epist. 6. *Nullius boni sine socio jucunda est possessio.* Architas dicere solebat: nec in cælo etiam jucundè satis sine socio aliquo se acturum, uti memorat Cicero, cujus & hoc est: *Societate sublata, omnis è vitâ sublata est jucunditas, aufert enim fructus voluptatum omnium solitudo. Nec sine societate ulli potest esse jucunditas.* Est illud quoque ejusdem non temnendum 2. officior. *Omnis ratio & institutio vitæ adjumenta desiderat.* Aristoteles pluribus ostendit 8. *Ethic. 1. in pr.* amicitiam esse ἀνάγκαστον ἕως τῶν βίων. *ad vitam degendam maximè necessariam.* Quod certè verissimum est in socialitate, de quâ agimus. Non parum quoque ad socialitatem movet communis ortus consideratio. Etenim ut Augustinus egregiè observavit l. 12. de civitat Deic. 21. *Unum atque singulum creavit, non utique solum sine humana societate deserendum, sed ut eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis unitas vinculumque concordia, si non tantum inter se natura similitudine, verum etiam cognationis affectu homines neciterentur, quando nec ipsam quidem feminam copulandum viro, sicut ipsum creare ei placuit, sed ex ipso, ut omne ex homine uno diffunderetur genus humanum.* Unde facile colligimus, quo proposito Hobbesius c. 8. *decive. §. 1.* fingi voluerit homines subito fungorum more è terrâ exortos. Quas nugas ante ipsum recoxerant Jul. Cæsar Vaninius *arcana. nat. dial. 37. Auctor. libri de præadam. c. 8.*

§. VIII. Addimus argumentis hæc, quod si omnino negemus socialitatem & ejus loco Hobbesianum illud jus omnium & singulorum in omnia & singula, bellum omnium in omnes admittamus, nullum fore inter homines jus, nihil fœdera, inane etiam futurum, quicquid fœderibus pactisvè superstruitur. Quod verbis ex Hobbesio ipso adductis demonstrabimus. Ait ille 1. de cive §. 10.

In

*In statu merè naturali, seu antequam homines ullis se pactis obstrinxissent, unicuique licere facere quaecunque & in quoscunque libebat, possidere & frui omnibus quæ volebas. Addit in notis. Quod quis fecerit in statu merè naturali, id injurium homini quidem nemini esse. Nam injustitiam erga homines presupponere leges humanas, quales in statu naturali nulla sint. Cap. 13. de cive §. 7. Status civitatum naturalis, id est, hostilis est. Neque si pugnare cessent, scircò pax dicenda est, sed respiratio: in qua hostis alter alterius motum metumque observans, securitatem suam non ex pactis sed ex viribus & consiliis adversarii aestimat. Atque id jure naturali, quod pax in statu naturali, quoties justus metus intercedit, sunt invalida. In Leviathan c. 13. Reges & persona summam habentes potestatem omni tempore hostes inter se sunt. Et bello omnium contra omnes consequens est, ut nihil dicendum sit injustum. Nomina justis & injustis locum in hac conditione non habent. Vis & dolus in bello virtutes cardinales sunt. Possent hæc quidem tolerari, si non ad nocendi jus, sed ad prudentiam cavendi referrentur. Aliam fuisse mentem produunt quæ jam diximus, & quæ sequuntur. C. 10. de homine, c. 26. Leviathan. conf. c. 12. de cive §. 1. legem naturalem omnem esse virtutem moralem, ut aequitatem, justitiam, gratitudinem, quæ leges propriè dictæ non sint, sed qualitates; tum verò esse leges easdemque civiles, quando à civitate observari imperantur. c. 15. Lev. athan. Dictaminarationis vim quidem obtinuisse legum sed impropriè dictarum: esse enim de iis rebus, quæ ad conservationem bonorum ducunt, tantum theoremata, legem autem propriè dictam esse vocem imperantis. Hinc infert c. 17. & 18. Leviath. Pacta per se non obligare, verba enim esse, dumque verba sint tantum, non timeri: ideoque ad securitatem hominum per se sine armis inutilia esse, & quoties metus cogentis abest, leges non obligare. conf. c. 3. §. 33. Plura alia in eandem sententiam in ejus scriptis passim legas. Quæ omnia eò recidunt, ante constitutas civitates nullum esse jus, pacta robur nullum, vim nullam habuisse. Ita verò civiles societates neque paucorum operâ unquam potuerunt coalescere, neque coalitæ conservabuntur, & sublatis fœderibus sequetur, ut omnes inter se æterna gerant bella. Quod Imp. Justiniani legati ad Chosroem dicebant apud Procopium II. Persicorum, Hoc absurdum & suo maximè propo-*

sito adversum ( voluit enim videri firmare civitates & in iis summas potestates ) ut declinaret Hobbesius, videtur ita incessisse : naturam æquales homines & ad uniuersam eandem aptos produxisse, adeoque facultatem dedisse unicuique in omnia. Hanc frustra datam intelligi, nisi pactis ad sui defensionem jus transferre, nisi in civitates, quibus unice miseria naturalis status corrigatur, coire liceret. Frustra etiam civitates constitui, nisi summus imperans ad custodiam pactorum renuentes adigere possit, non subditos ad parendum obligatio adstringeret. Enimvero ex his neutiquam obligatio ad animum pertinens sequitur, sed illud tantum, imprudenter & parum ex usu suo facere, qui fidem pactorum, quibus civitates constituuntur, violant. Nam ita quoque Hobbes *Leviath. c. 15. si quis*, inquit, *in civitate quid faciat, quod, quantum perspicitur & intelligi potest, ad suam ipsius tendit destructionem, quanquam improvisum aliquid accidat, factum nihilominus fuisse imprudenter, quia improvisum.* Imprudenter dicit, non iniuste. Jam si solus utilitatum respectus civitates continet, næ dissolventur ex illico, quoties displicebunt imperantes, quoties in jure aliunde utilitas sperabitur: præsertim cum homines præsentem eorum statum raro sint contenti; & juxta illud Attii apud Ciceronem 3. offic. *multi iniqui atque infideles regno, pauci sint boni.* Adde propter jus illud omnium in omnia semper licere in naturalem legatum restituere, & jus pristinum aliis sibi junctis vindicare. Neque vero propriorum commodorum & conservationis sui, quæ extra civitatem haberi non potuit, respectus efficere potest, ut subditus in conditione parendi semper maneat: quid enim si summo imperante prudentiorem se putet? quid si multis clientelis (eum niverit? quid si ambitiosus sit, & esurire sibi videatur ( ut Thesalus ille apud Aristotelem ) nisi imperitet? Quare alio loco pacta propter metum agentis invisibilis servanda insinuat. *V. Leviath. c. 14. conf. deciv. c. 1. §. 14. c. 5. §. 12. c. 15. §. 5.* Atqui & hic metus facile exolescit, si verum est pacta aliasque naturæ leges in naturali statu non obligare, eoque magis, si Hobbesium a Deo fuisse credamus. De quo videatur D. Kox holti *liber de tribus impostoribus*. Alibi idem leges naturales, quatenus à Deo in sacris literis latæ sint, propriè leges esse contendit c. 3. de cive §. 33. At enimvero *Leviath. c. 33.* & alibi sacrarum literarum auctoritatem à solo summæ potestatis arbitratu

bitratu suspendit. Adde Richard. Cumberland, *disquisit. de lege natur. c. 9. §. 15. sequent.*

SECTIO II.

*Docet Socialitatem principium esse notionum in naturâ positarum.*

§. I.

**E**Viato homines omnes inter se naturali quadam indulgentiâ & benevolentâ tum etiam societate juris contineri, sponte sua consequitur socialitatem esse principium multarum illationum distaminumque naturalium. Idque non tantum antiquissimi Philosophorum prodiderunt, sed & Jctus noster innuit & Aristoteles 8. *Eth. II.* solidissimè ostendit, ubicunque amicitia sit, ibi jus esse. Sub vocabulo enim amicitia societatem etiam intelligit, quoniam *in societate & communiione posita amicitia est.* Ut idem ait *d. l. 8. c. 9. init.*

§. II. Quod ut rectè intelligatur, notandum *primò*:

Socialitatem sive magnam illam mundi societatem (*μεγαλόπολην* sci-  
tè vocat Philo in *Josepho*, *μεγάλην πόλην* Artianus *l. 3. Differet. E-  
pictet. c. 22.*) quæ communiione rationis univetsum genus humanum  
colligit, & *εὐπραξία* sive exercitio jurium naturalium conservatur,  
non confundendam cum cæteribus hominum particularibus, sive ij  
civitates sint sive familia, aut quæcunque alia confociationes. Opti-  
mè hæc separavit Camillus apud Livium *l. 5. c. 27. Nobis cum Fa-  
liscis, quæ pacto sit humano, societas non est. Quam ingeneravit  
natura, utrisque est, eritque. Sunt & belli, sicut pacis jura.* Ari-  
stoteles *1. Rhetor. 13.* Ὁ μαρτυροῦνταί τι πάντες φύσει κοινὸν δίκαιον ἢ  
ἄδικον, καὶ μηδεμίᾳ κοινωνίᾳ, πρὸς ἀλλήλους ἢ μηδὲ συνθήκη. *Est  
quoddam quod augurantur (sive unanimi & quasi divino instinctu  
asserunt) omnes, natura commune justum & injustum, etiamsi  
nulla societas invicem sit, nulloque pacto.* Vocabulo sc. societatis  
strictè acceptò. Seneca de otio sapient. *c. 31. Duas respublicas ani-  
mo complectamur: alteram magnam & verè publicam, quâ Di-  
i atque homines continentur, in quâ non ad hunc angulum respicimus,*



aut ad illum, sed terminos civitatis nostra cum sole metimur. Alteram, cui nos adscripsit conditio nascendi. Hec aut Atheniensium erit, aut Carthaginensium, aut alterius alicujus urbis, quæ non ad omnes pertineat homines. Epistolâ 48. ait: hanc societatem (magnam sc.) nos omnes omnibus miscere, & judicare, aliquod commune jus esse generis humani: A Cicerone primo officiorum insignitur, latissimè patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes societas. Societatis hujus cives Stoici aiebant esse omnes homines. Planè ut Socrates cum rogaretur cujatem se esse diceret? mundanam respondebat. Totius enim mundi incolam & civem se esse arbitrabatur. Ut refert Cicero §. *Tusculan. quæstion.* Quod idem Cicero 1. de LL. in calce respexit, ut sese non unis circumdatum mœnibus, popularem alicujus loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis, agnoscat. Deinde vocabulo socialitatis non semper actum significari sed aptitudinem, quæ tum se exserat, ubi commodam invenit materiam *Præterea* ex socialitate non omnia fluere dictamina, sed illa tantum quæ ad alios homines respectum habent. Nam recta ratio quædam simpliciter quædam sub conceptu socialitatis dicitur. Hinc bene Antonin. Imper. l. 6. de *Rebus suis* §. 14. & l. 9. §. 72. λογικὴν καὶ πολιτικὴν δυνάμιν rectè distinguit, atque ex hac deducit l. 10. §. 6. in quantum necessitudine quadam ejusdem generis partibus conjunctus sum, nihil facturum sum, quod jus communionis violat: sed cognatorum potius rationem habebō. omnemque conatum meum ad id dirigam, quod in commune conducet, & ab eo quod huic est contrarium abstinēbo. Nec aliter sensit, quicquid aliqui dicant, Grotius prolegom. §. 11. & l. 1. c. 1. §. 12. conf. Zentgrav. de origin. & verit. jur. nat. art. 6. §. 15. D. Rachel. Diff. de jure nat. primâ §. 28. Denique principium hoc non esse unum & primum omnium, primum tamen appellari, quatenus officia omnia, quæ ad alios homines respiciunt, eò tanquam ad veritatem primam reducuntur. Quare quando Robertus Scarrock. de offic. secund. juri natura c. 2. §. 10. D. Osiander part. 2. typ. legis natur. §. 72 & in observat. ad Grot. Ziegler ad prolegom. Grot p. 6 D. Valentio. Alberti præfat. compend. jur. nat. Mevius prodrom. jur. natur. in-

spei.

*sect.* 3. §. 13. & alii principium hoc impugnant, quid respondendum sit, facile patet.

¶ III. Dicunt illi: Dictamina juris naturæ esse universalia, & diffundere se debere universaliter in quævis objecta: at satisfieri societatis appetitui posse, etiamsi unam solummodo regionem aut temp. bene à te factis demerueris. Respondemus vocabulo socialitatis heic significari obligationem ad benefaciendum & non nocendum alteri cuivis, quæ licet actu ipso defectu materiæ se non semper exlerat, aptitudine sane sive actu primo, ut in scholis loquimur, esse universalem & ad totum genus humanum se porrigere.

§. IV. Dicunt porro: Prædones & latrones suas sibi societates habere, in quibus quotidie magnanimiter patrata à se facinora possint enarrare, & proinde isti satisfacere cupiditati, dictaminibus autem & iudiciis de honesto non satisfacere. At enim verò falsissimum est, appetitioni societatis, de qua nobis sermo est, istos satisfacere, quandoquidem pravis suis facinoribus se à reliquo humano genere disjungunt. Appositè Seneca 4. de Benef. 17. *Dic cuilibet ex istis, qui raptò vivunt, an illa qua latrociniiis & furtis consequuntur malinstratione bona pervenire? Optabit ille, cui grassari & transerunt percutere questus est, potius illa invenire quam eripere.* Et tamen cum eorum societas sive globus sine jure conservari non possit, quod à multis est observatum & præclare à Polybio 4. histor. cujus hæc sunt verba: *privata coitiones facinorosorum ac furum hoc maxime modo everti solent, ubi inter se ius non præstant, & in summa, ubi fides inter ipsos perit.* Quamò magis magna illa mundi societas, univetsum genus humanum complexa, jure opus habebit.

§. V. Alius monuit, hac viâ incidentes non paucos in monarchomachorum præcipitia incidisse, licitum ob socialitatem esse putantes, Regem, si in temp. peccet, è medio tollere: utilitatem enim societatis, si ad hunc potissimum intendamus, perquam facile nos decipere. At quæto, quid hoc aliud est, quam perversa socialitatis explicatio: Ita vero Paulum Apostolum etiam in monarchomachorum numerum compegeris, qui in charitate, Christi lege nam excellenter præceptâ, pleraque decalogi dixit, *ἀνακεφαλαιώσθη ad Rom. XIII. 9. Gal. V, 14. 1. ad Corinth. XIII. 4. sequ.* Neque enim societatem particularem heic intelligimus, sed illam quæ univetsum genus

genus humanum continet. Abs quâ nulla civitas, securitas Regum nulla esset, tantum abest ut eam destruat. Sicut postea docebimus.

§. VI. Denique alius obvertit: ipsam socialitatem secundum jus divinum formatam leges naturales accipere, non ipsam factam jus aut juris regulam, etsi pleraque ejus à posteriori noscimus per illa, quæ natura juxta sibi inditam inclinationem edidit, opera; inter quæ sit etiam societatis amor & studium, atque inde argumentum juris naturalis frequens & necessarium. Discernenda igitur esse, unde quid cognoscitur & unde existit. Atqui satis est esse principium cognoscendi, quando omnia præcepta juris naturalis, quæ ad alios homines spectant, eo reduci ac resolvi possunt. Neque tamen obstat, quò minus etiam essendi principium dicamus, quo homo contemplatione sui status, ad quam à Deo conditus est, actiones suas instituit.

§. VII. Cæterum quamobrem principium hoc catholicum non esse, nec omnia naturalis juris præcepta inde derivanda esse staterimus, causas explicabit vir illustris D. Ericus Mauritius de *princip. jur. publ. c. 4. §. 32.* *Si nullum, inquit, jus natura sit nisi in respectu ad societatem humanam, quid fiet de eò tempore, quo Adamus solus ante productos alios homines vixit? Sanè nullis natura legibus obstrictum fuisse, secundum hanc sententiam dicendum fuerit, atque adeo integrum illi per hanc opinionem relinquatur, illo quidem tempore, colere Deum vel non colere, patrare fœda alia vel non patrare, quod absurdum esse nemo non facile videt. Sed & eadem ratio fuerit hominis remoti à societate humanâ, quales esse possunt Eremita, deportati in insulas inhabitabiles &c. Et illi enim hoc dogmate jure natura solvuntur. Atqui certum tamen est, illos & ad colendum Deum teneri, & ad vitanda quæ dedecenti humanam naturam. Non ergo à sola societate humana vis legum Natura dependet, neque eo solum refertur, sed vel Deum respicit, vel proximum & societatem, vel seipsum & Naturam humanam. Pertinet hæc Ciceronis illud 1. de naturâ Deorum. *Haut scio, an pietate adversus Deos sublatâ, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus, justitia, tollatur.**

§. IIX. Atque eatenus etiam accèdere possumus D. Pufendorfio, quando 1. 2. de jure natura & gent. c. 3. §. 19. isthoc principium

cipium deducendi juris naturalis non genuinū solum & manifestum, sed & sufficiens atque adæquatum esse arbitratur *hactenus*, ut non sit *preceptum ulium juris naturalis alios homines spectans, cujus ratio non ultimò exinde petatur.* Etenim cur obligationem colendi Deum eque obtemperandi ex socialitate deducere debeamus, causa nulla est: ratio enim naturalis ipsa sine ullo socialitatis respectu hoc dicitur. Quid enim, si Deus unum ac solum terræ incolam creasset? Et licet jus se suaque tuendi ex socialitate non nihil se ostendat, tamen firmior ejus ratio ex obligatione ad colendum Deum peti potest: cum enim vitam à Deo acceperimus velut depositum, & facti simus, ut Deo famulemur, excultisque bonis ab ipso nobis concessis, ejusdem gloriam reddamus illustriorem; facile utique intelligitur, nihil à nobis fieri fas esse, per quod divino cultui aliquid decedat. Vide quæ ab eodem Pufendorffio contra antagonistas disputantur *in specim. controu. c. 4. §. 1. & in spicilegio §. 14. & sequ. p. 35. & sequ.*

§. IX. Cum hac nostrâ quoque sententiâ non difficulter componemus Richardum Cumberlandum, *disquisitione philosophicâ de legibus natura* statuentem, benevolentiam latissimè diffusam (cum Deo sc. & hominibus) officiorum principium, mensuram, regulam, unicamque legem. Quandoquidem benevolentia illa, quâ alios homines complectitur, socialitas est, de quâ heic agimus.

§. X. Eodem recidit illorum dogma, qui juris naturalis duo summa capita ponunt, amorem Dei ac hominum. V. Hopper *de arte juris* l. 1. p. 21. *sequ.* H. de Royl. 1. *de eo quod justum est* lit. 3. §. 5. Nam quod in eo desiderat Boeclerus *in præfat. ad Grotii opus de jure B. & P.* ita capita singillatim exprimenda cogi in compendium; id quidem gratis dicitur: quandoquidem ex principio bene posito non difficile est conclusiones singulares elicere; & quis Paulum Apostolum reprehendit, quod pleraque decalogi præcepta unâ charitatis lege comprehendit?

§. XI. Non minus admitti potest, si dextrè intelligatur, quod à multâ disceptatione Sfortia Pallavicinius *libro de bono* statuit principium: *Justum esse quicquid natura placet.* Naturæ autem nomine intelligit principium motus & quietis in mundo, quod necesse est sapiens esse, quia motus tam pulcher ordinatusque est. conf. D. Leibnitius *nov. method. disc. docend. jurispr. pars. spec. §. 71.* Etenim

eo nihil significatur aliud, quam parendum Deo, cumque debitâ veneratione prosequendum. Cui consequens, cum Deus homines sensu communi vi intellectu & tot aliis communicandi instrumentis ad socialem vitam opportunis instruxerit, socialitatem quoque ab eo imperatam esse.

§. XII. Illud quoque observatu dignum, qui loco principii hujus alia substituent, non parvis difficultatibus implicari. Ita Mevius in prodrom. Jur. natur. fundamentum juris naturalis querendum existimat non in socialitate, sed in naturâ. Naturam autem accipiendam dicit, non ut per corruptam progeniem ac improbos mores nunc est depravata, sed quæ primitus concreata fuit integra & incorrupta. Enimverò quemadmodum homo primum sit creatus non nisi ex divinis constare literis potest. Ita verò principio naturalis juris primo destituentur, qui solâ ratione magistrâ utuntur. Quod si verò extra sacras literas id serenatâ mente investigari posse putavit, ex fine conditi hominis, & ex instrumentis ad eum finem consequendum comparatis, natura non nisi socialis concipi potest. Ut supra latè demonstravimus.

### SECTIO III.

#### *Præcepta juris naturalis ex hoc principio singillatim deducis.*

##### §. I.

**V**ideamus nunc singillatim, quænam ex principio hoc conclusiones deducantur. H. Grotius *prolegom.* §. 8. inde observavit *piomanare, alieni abstinentiam, & si quid alieni habeamus aut lucrifecimus restitutionem, promissorum implendorum obligationem, damni culpâ dati reparationem, & pœna inter homines meritum.* At nos distributione quadam factâ, dicemus: aliqua sine medio inde resultare, aliqua certis in statibus se exerere. Illa vel jubere, vel tantum indicare. Hæc vel firmare statum & quæ in illo statu licent, vel posito certo statu vetare aliquid vel jubere propterea, quia conditio status illius ita desiderat.

§. II. Generale principium est: *Colendam & exercendam  
iustitiam*

justitiam. Bene Cicero primo officiorum : *Latissimè patet ea ratio quâ societas hominum inter ipsos & vita quasi communitas continetur. Cujus partes dua sunt : justitia, in quâ virtutis splendor est maximus, ex quâ boni viri nominantur ; & huic conjuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellare licet.* Non minus idem præclare Officiorum secundo justitiæ tanta vis est, ut ne illi quidem qui maleficio & scelere pascuntur possint sine ulla particulâ justitiæ vivere. Nam qui eorum cuiuspiam, qui unâ latrocinantur, furatur aliquid aut clam eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam disperiat, aut occidetur à sociis, aut relinquetur. Ex libro de finibus quinto. *In omni honesto nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quàm conjunctio inter homines humanum ; & quasi quedam societas & communicatio utilitatum & ipsa charitas generis humani : qua nata à primò satù, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio & stirpe conjungitur, serpit sensim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiiis, post vicinioribus cum civibus & iis qui publicè socii atque amici sunt : deinde complexu totius gentis humane. Quæ animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc, quam dicunt societatem conjunctionis humanæ, munificè & æquè tuens, justitiæ dicitur : cui adjuncta sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, charitas, quæque sunt generis ejusdem. Atque hæc ita justitiæ propria sunt, ut sunt virtutum reliquarum communita : nam cum sic hominis natura generata sit, ut habeat quiddam innatum quasi civile atque populare, quod Græci πολιτικὸν vocant, quicquid æquæque virtus, id à communitate & eâ quam exposui charitate atque societate humanâ non abhorrebit : vicissim, justitiæ ut ipsa se fundat usu in ceteras virtutes, sic illas expetet.* Hinc Aristoteles 1. Pol. 2. in calce justitiæ scitè dixit esse aliquid politicum, & Alexander Aphrodisiensis l. 2. de animâ c. 42. *Si sociabilis natura sumus, impossibile est, societatem durare sine justitiâ.*

§. III. Justitiæ autem vocabulo heic notatur actio, suum cuique tribuens. Nam ita veteres. Macrobius 1. Saturnal. 10. *Justitiæ servat unicuique quod suum est* Cicero de naturâ Deorum : *Justitiæ*

*sum cuique tribuit. Alibi, cuique jus sum & dignitatem tribuit, 2. de inventione & 3. ad Herenn. Aristoteles apud Laetium l. 5. vitar. τὴν δικαιοσύνην ἐφη ἀρετὴν ψυχῆς, διανεμητικὴν τῆ κατ' ἀξίαν. Justitiam animi virtutem esse ajebat unicuique ex dignitate tribuentem. Idem 5. Eth. Nicom. 1. in calce. Sola ex omnibus virtutibus justitia alienum videtur esse bonum, quia ad alterum refertur ac pertinet. Aliorum enim utilitati consulit. Ante dixerat: eam non existere in aliquo, verum foras progredi. Porphyrius: de non esu animant. 3. ἡ δὲ δικαιοσύνη ἐν τῷ ἀφελικῷ καὶ ἀβλαβεῖ κῆται παντός ὅτιον ἢ μὴ βλάπτουσι. Justitiā in eosita est, ut abstineatur alienis, neq̄ nocentibus.*

§. IV. Subjctum justitiæ non sunt bruta animantia qua talia. Cicero de Stoicis 3. de finibus: *Quomodo hominum inter homines juris esse vincula putant, sic homini nihil juris esse cum bestiis.* adde de Zenone, Chrysippo, Posidonio, Laetium l. 7. vitar. Idem cetera hominis causa esse nata statuebant. V. Marcus Antoninus, l. 7. de vita sua Attianus, l. 1. Diff. c. 16. Origines, l. 4. contra Cels. Lactantius, de ira Dei c. 13. Ambrosius. 1. Offici. c. 28. Et rectè ita statuebant. Est enim nulla inter homines & bruta animantia societas, neque eadem vi intellectuice pollent, quâ Deum colimus homines. Nulla igitur utrique obligatio invicem poterit intercedere. Nam quod apud Laetium in Pythagora traditur: ipsum venisse necare animalia κοινὸν δικαίον ἡμῶν ἔχοντων ψυχῆς κομμυνη nobiscum jus habentia anima, id idem Laetius rectè πρὸς ἄλλομα sive prætextum dixit. Adde quæ differit D. Pufendorfus l. 4. de jure N. & G. c. 3. §. 3. & sequ.

§. V. Soli ergò homines huc pertinent, iique omnes. Nam socialitas, ad homines quosvis se exporrigit. Julianus in epistolis ἀνθρώπος γὰρ ἀνθρώπῳ καὶ ἐκῶν καὶ ἄκων πᾶς ἐστὶ συγγενής. Porphyrius de non esu animantium tertio. Ὁ λόγῳ ἀγόμενῳ καὶ πρὸς πολὶτην τηρεῖ το ἀβλαβεῖς, καὶ ἐτι μαλλον πρὸς ξένους καὶ πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ὁ τὴν ἀλογίαν ἔχων ὑπήκοος καὶ αὐτὸς παρ' ἐκείνους λογικώτερος, διὰ τῆτο δὲ καὶ θεϊότερος. *Qui ratione ducitur innocentiam in civis servat, imò & in peregrinos, & homines quosvis, quanto ratione præstans, tanto divinius. Cicero de officiis tertio. Qui autem civium dicunt esse rationem habendam, externorum negant: hi dirimunt*

vimunt communem humani generis societatem : quâ sublatâ, benefici-  
 centia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur : qua qui tollunt,  
 etiam adversus Deos immortales impii judicandi sunt : ab iis enim  
 constitutam inter homines societatem everunt. Cujus societatis ar-  
 ctissimum est vinculum, magis arbitrari esse contra naturam, homi-  
 nem homini detrabere sui commodi causa, quam omnia incommoda  
 subire, vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, qua vacent  
 justitia : hac enim virtus omnium est domina & regina virtutum.  
 Hac in parte impigisse Hobbesium ex iis quæ supra adduximus ma-  
 nifestum est, quandoquidem inter eos qui in naturali degunt statu  
 locum justitiæ nullum reliquit. Sed nec Tyrannos, nec prædones,  
 nec servos hinc excludimus. Licet enim Aristoteles 8 Eth. 11. dicat :  
 In tyrannide aut nihil aut parum esse amicitia. Inter quos enim nihil  
 commune est illi qui imperat cum eo qui parat, nec ullam prorsus ami-  
 citiam esse, quoniam neque jus. Sed neque amicitiam esse cum servo  
 quâ servus est : nihil enim domino cum servo commune esse. Tamen  
 subdit paulo post, te quasi cortigens. Qua igitur servus est id quod est,  
 nullam cum eo amicitiam intercedere domino, sed quâ homo est ali-  
 quam. Nam omni homini cum eo cum quo pactorum & rerum con-  
 trahendarum ratio nobis aliqua esse potest, jus aliquod intercedere  
 videri. Ergo & amicitiam quoad homo est. In tyrannicâ ergo domi-  
 natione neque amicitiam multum esse posse neque juris. Non ait nihil,  
 sed non multum. Addatur omnino Grotius l. 3. de jur. B. & P. c. 19. §. 2.  
 & 3. Hinc depositum ex ipso jure naturali & gentium reddendum la-  
 troni, si dominus non appareat, rectè à Tryphonino responsum est.  
 l. 31. pr. deposit.

§. VI. Cum autem homines alii sint nascituri, alii nati, alii de-  
 nati : nascituros sive qui in utero sunt materno Stoici homines esse ne-  
 gabant. Quorum sententiam post Pli tarchum de placitis philosoph.  
 l. 5. c. 15. & de Stoicis contradit. c. 38. ita exponit Tertullianus de  
 animâ c. 25. Sunt qui presumunt, non in utero concipi animam, nec  
 cum carnis figuratione compingi atque produci ; sed & effuso iam  
 partu, nondum vivo infanti extrinsecus inprimi. Caterum se-  
 men ex concubitu muliebribus locis sequestratum compingescere in  
 solam substantiam carnis, eam editam & de uteri fornace fuman-  
 tem, & calore solutam, ut ferrum ignitum, & ibidem frigide im-  
 mersam,



*mersam, ita aeris rigore percussam & vim animalem rapere & vocalem sonum reddere. Hac Stoici cum Anesidemo. Cujus philosophiæ vestigia extate putantur in l. 10. §. 1. de vulgar. & pupillari substit. l. 7. pr. de ventr. in possess. mittend. quarum auctor est Ulpianus, non dubiè ex disciplinâ Stoicorum Jctus, & in l. 9. §. 1. ad L. falcid. Huic consequens igitur erit, nondum natos nec socialitatis nec justitiæ participes fore. Enimverò potius heic audiendus, quem adduximus modo, Tertullianus in apologetico c. 9. *Conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii fastinatio est prohibere nasci: nec refert natam quis eripuit animam, an nascentem disturbet. Homo est, qui futurus est, & fructus omnis jam in semine est.* Hinc videmus in illos animadverti, qui abortus procurant. V. Ex. XXI, 22. sequ. l. 4. D. de extraord. crimin. l. 8. ad L. Cornel. de sicariis. Ordin. Criminal. art. 133. Equidem in foro juridico receptissima est distinctio inter factum animatum & non animatum, quam ab Ægyptiis & Græcis accepisse Judæos & Rabbinos putat H. Grotius ad Exodi, d. c. XXI, 22. V. c. 8. & 9. caus. 32. quest. 2. Carpzov. part. 4. const. 4. def. 1. Alphons. Caranza c. 1. de partu §. 2. Et potest lanè ea tolerari ad gradus pœnarum constituendos, non tamen sub respectu animæ præsentis & non præsentis, sed sub respectu spei, quam resp. habet de nascituro vel remotiorem vel propinquiorem, quamque concipit ex sensu embryonis debiliore & adultiore. Ut rectè docuit D. Scheinemann *de tempestiv. ætatis part. 3. c. 4. §. 3.* Adde Hieronym. *adversus Ruffinum apolog. 2. Ruffin. in apolog. Pamphili pro Origen.**

§. VII. Nati haut dubiè huc pertinent, modo diversam aliquamque à congenere formam speciemve non habeant, quæ *τερομορφία* & formæ peregrinitate nati monstra dicuntur, & impune à quolibet occidi possunt, De quo alibi egimus. Addatur l. 14. D. de stat. hom. l. 38. l. 135. de V. S. l. 3. C. de posth. hered. A quibus diversi sunt non integrâ formâ nati, brachio v. g. uno aut pede defecti, siquidem mutilus licet, homo tamen est, quippe qui animam habet, perquam homo est id quod est. V. l. 12. §. 1. de haber. & posth. Hinc Lycurgi Lex apud Plutarchum in Lycurgo : *Nihil aletur mancum aut membris orbatum*, quam in civitatem à se conditam voluit introduci Aristoteles 7. Pol. 16. probari neutiquam potest, & multò minus

minus illorum populorum institutum, apud quos exponere infantes quotidianum fuit. Rectius Justinianus Imperator *Nov. 132.* crimen id vocavit à *sensu humano alienum*, & exponentes tanto deteriores homicidio pollutis judicavit, quanto calamitosioribus id inferunt.

§. IIX. Mortuos non esse participes socialitatis atque justitiæ facile intelligitur, quoniam ista homini tribuuntur propter animam. Neque tamen hoc crudè accipiendum. Etenim quæ viventibus competere & durant post mortem, veluti existimatio, justitiæ utique recipiunt. Hoc aspectu rectè dicitur, mortuo fieri injuriam. Rursus intuitu animæ humanæ, tam præstabilis boni, cui corpus domicilium præbuit, uti arbitror, apud omnes fere gentes obtinuit, corpora mortua sepeliri. Et sanè humanitati hoc maxime convenit. Hinc juri naturæ adscripserunt veterum non pauci. V. Freinsheimius *in 3. Curtii c. 2. n. 20. l. 4. c. 7. n. 25.* Ad jus gentium retulerunt H. Grotius & quos protulit scriptores *l. 2. de jur. B. & P. c. 19.* Quanquam in statu belli sive inter hostes denegatio sepulturæ vix alium effectum habeat, quam ut populus eam denegans malè moratus habeatur, & exemplum datum ex occasione reciprocetur. At in statu pacis eatenus jus parit, quatenus, qui jus in bona mortui consequatur, multò magis corpus ejus vindicare queat. Ex dictis decidi potest quæstio, an *ἀνθρώπων φύσις* juri in natura posito adversetur? Quod negat Wulfer *in discurs. prælim. ad Itinerar. Saarii* quoniam numiã pro medicinã utamur, & secundum Moralistas in casu extremæ necessitatis caro mortua in cibum verti possit. Et sanè hætenus naturæ juri non repugnat: at si quis humanam carnem citra hujusmodi necessitatem devoret, id humanitati non convenit: aut si esus causâ hominem mactet, quod Barbaris nonnullis in more est, qui in advenas, etiam tempestate aut alio causâ sibi oblatos, eam immanitatem exercent, id socialitatem quoque ipsam lædit.

§. IX. Objectum justitiæ ad tria capita reduci potest. Primum est, *suum cuique tribuendum*. Sui nomine JCros facultatem, hoc est, jus quod dicimus perfectum denotare dicit Grotius *1. de j. B. & P. l. 9. 3.* Quod verum est, si vox illa latius sumatur. V. *l. 6. §. 6 D. de his qui in fraud. cred. l. 12. l. 96. §. 1. de solut.* Interdum tamen strictius accipitur, ut opponatur ei quod in ctedio est

est l. 27. §. 2. l. 34. pr. de aur. & argent. legat. Nos heic priore notio-  
ne utimur, ut suam significet omne quod cuique competit, sive id  
datum sit à natura, ut vita, corpus, membra, pudicitia, exstima-  
tio simplex; sive factò humano accesserit.

§. X. Alterum est : *Ladendum neminem injuriâ.*

Quò pertinet quod est in l. 14. D. de condit. indeb. l. 206. D. de Reg.  
juris : *Jure natura æquum est, neminem cum alterius detrimento &  
injuriâ fieri locupletiozem.* Cicero de officiis tertio cum dixisset :  
*detrabere aliquid alteri & hominem hominis incommodo suum au-  
gere, magis esse contra naturam quam mors, quam paupertas, quam  
dolor, quam cetera, quæ possunt aut corpori accidere aut rebus exter-  
nis; causam subjicit: quia tollat convictum humanum & societatem.  
Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum  
spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maximè est  
secundum naturam, humani generis societatem. Ut si unumquod-  
que membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si  
proximi membri valetudinem ad se iraduxisset, debilitari ac interire  
totum corpus necesse esset : Sic si unusquisque nostrum rapiat ad se  
commoda aliorum, detrahatq<sub>3</sub>, quod cuique possit, emolumentis suis  
gratiâ, societas hominum & communitas evertatur necesse est.* Huc-  
usque Cicero, qui pluribus id persequitur. Lætionis autem voca-  
bulo heic intelligimus omnem corruptionem, deminutionem, subla-  
tionem ejus quod ad alterum quemcunque spectat. Quæ Græ-  
ci ad tria vocabula revocant : ἔβρις, βλάβη, θάνατος. injuriam,  
damnum, cædes. V. Aristot. 2. Pol. 6. à princ. Ut adeo palam sit,  
contra præceptum hoc & antecedens peccare homicidas, convicia-  
tores, damnum injuriâ dantes, raptores, fures & quicunque alienis  
rebus imminet; peccasse etiam olim gentes, quæ latrocinia extra  
fines suos in virtutis parte posuerunt. De quo alibi pluribus.

§. XI. Tertium est : *Damnum si quod actione  
moralì, hoc est dolo vel culpâ, per injuriam datum est,  
resarciendum.* Fundamentum conclusionis hujus ponit  
Aristoteles 5. Eth. 2. in contractu involuntatio, quem vocat συνά-  
λαγμα ἀίσιον. Nimirum, ut Michaeli Ephesius ad dictum Ari-  
stotelis

storeles locum scribit, est hic quoque datio & acceptio, in quibus consistit natura negotiorum mutuum: nam qui res aut aliquid furatus est, pro eo dat pœnas. Quanquam subtilitate istâ non sit opus, cum ad fundandam hanc conclusionem sufficiat unicum socialitatis præceptum, & frustra esset juris naturalis de altero non lædendo regula, & summè noxium humano generi, nisi restitutio damni simul præcepta intelligatur. Quando autem dixi: *Damnnum, si quod actione morali datum, resarciendum esse*, præstruô hoc principî, & naturâ actionum moralium perpensâ, facile intelligi possunt quæ habet H. Grotius l. 2. de J. B. & P. c. 17.

§. XII. His adjuncta sive affinia sunt quartum: *Quæ innoxia sunt utilitatis, i. e. quæ sine incommodo dantis alteri commodare possunt, eidem præstanda.* Optimè Cicero de officiis primo: *Omnia communia hominum videntur ea quæ sunt generis ejusdem. Quod ab Ennio positum in unare transferri per multas potest.*

Ut homo, qui erranti comiter monstrat viam,

Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,

Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

*Una enim ex re satis percipitur, ut quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Ex quo sunt illa communia: Non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, si quis velit; consilium fidele deliberanti dare. Quare & hic utendum est, & semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sequitur. Quidni, quando sine detrimento suo potest, alteri communicet in his, quæ sunt accipienti utilia, danti non molesta? Eodem pertinet Papiniani illud in l. 7. D. de servis exportand. Beneficio adfici hominem hominis interest.*

§. XIII. Quintum: *beneficio reponendam gratiam, quantum fieri potest.* Audiamus Ciceronem dicto loco: *Nullum officium referenda gratia magis necessarium est. Quod si ea, quæ acceperis utenda, majore mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus?*

D

debemus?

debemus? Annon imitari agros fertiles, qui multò plus afferunt quàm acciperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt. Nam cum duo sint genera liberalitatis, unum dandi beneficii, alterum reddendi: demus, nec ne, in nostra potestate est: non reddere bono viro non licet, si modo id facere possit sine injuria.

§. XIV. Præcepta duo hæc non temerè ad adjuncta sive asinia justitiæ retulimus: quoniam ea in respectu ad alios homines jus perfectum, hoc est, facultatem petendi atque exigendi non tribuunt, sed tantum aptitudinem sive ἀξιαν. Hinc Aristoteles contra justitiam propriè dictam nihil committere dixit, qui alteri non succurrit præ tenacitate, contra justitiam sc. quam συναλλακτικὴν & ἐπανορθωτικὴν insignivit, eique ex opposito respondentem dedit justitiam διανεμητικὴν, duorum horum, quæ ultimo loco attulimus, præceptorum matrem. Quod verò eadem diximus perfectum jus haut tribuere, ex ratione non unâ intelligitur. Nam socialitas quidem talia ut honesta dicar, at profecto eidem repugnaret, abnuentem & invitum eò adigere. Plerique enim omnes beneficiam accipere volunt: dare non volunt: quod id sit utilitatibus contrarium. Ut præter experientiam observavit Aristoteles, 8. Eth. ult. Deinde magis gloriosum est, ea hominum pudori relinquere. Quo respectu Seneca l. 3. de benef. c. 7. Non est, inquit, gloriosares gratum esse, nisi tantum esset ingratum fuisse. Accedit in statu naturali æqualitas hominum & facultas de rebus suis, prout ex usu videbitur, statuendi, ut adeo sine turbâ humani generis hujusmodi officium petenti adversus denegantem & propriis commodis intentum coactio concedi non posse videatur. Adde Grotium l. 2. de J. B. & P. c. 20. §. 20. & Pufendorf. l. 1. c. 7. §. 7. & l. 3. c. 3. §. 16. sequi.

§. XV. Enimverò fieri potest, ut officia talia in jus perfectum migrent. Nam dubitandum non est, quin in civitatibus ob peculiare rationes eorundem præstatio lege injungi possit. Ut apud Hebræos benignitas adversus externos: & in magnâ frumenti copiâ, ut cives quod habent in medium conferant. Neque negaverim, multatum jure inhumanum cauponem, quod miserum hospitem sævâ hyeme thorace spoliasset. teste Choppino, 3. Paris. 3. x. 11. Jam & in statu naturali, si is qui officium humanitatis petit

eo non præstito vel certo vel probabiliter petiret, aut sine eo jus sibi perfectè competens consequi non possit, jus perfectum nasci existimamus. Quoniam isto in casu cessant rationes, quas officiis illis, quò minus jus perfectum producant, obstare dicimus. Nisi alter pari malo laboret aut in in exercitio juris perfecti æquè impediretur. Atque ex his pendent decisiones plerarumque quæstionum, quas tractavit Grotius l. 2. de J. B. & P. c. 2. Cl. 6. & sequent.

§. XVI. Cæterum ex diversitate horum officiorum sequitur insignis diversitas in modo exercendæ justitiæ. Nam *δυσμετρίης* mensura est voluntas dantis, æquitate temperata & prudentiâ. Eòque pertinet quod est in parabola Servatoris *Matth. XX. 9. sequent.* patremfamilias inducentis, qui murmurantibus quibusdam operariis, quod socios serius venientes mercede ipsis æquasset, responderit eorum uni: *Amice, non facio tibi injuriam. Nonne denario pascis mecum. Tolle quod tuum est, & abi. Volo autem huic novissimo dare sicut & tibi. Annon licet mihi quod volo facere in rebus meis? An oculus tuus malus est, quod ego bonus sum?*

§. XVII. E contratio justitiæ *συναλλακτικῆς* mensura rei, cui applicanda, æqualis esse debet, saltem morali æstimatione. Neque enim æqualitas semper *ἐν ἀκμῇ* sive in puncto consistere debet aut potest, sed ad vitæ humanæ usum sufficit, *πυχυλῶς* personas res atque actiones æstimari atque inter se comparari. Ut liquet, ubi damnum est resarciendum. De quo egregiè disserit Grotius l. 2. de Jur. B. & P. c. 17. §. 13. sequi. Aut ubi pœna infligenda. Neque enim talio quarumvis pœnarum justa est mensura. V. Putendorf. l. 8. de J. N. & G. c. 3. §. 27. Solet heic plerisque, auctore Aristotele, in usu esse distinctio proportionis in arithmetica & geometrica. Verùm enim verò certum est, rebus moralibus non nisi *ἀνολόγως* eas proportionales posse applicari: deinde res ipsa docet, exiguum ejus doctrinæ usum esse, imò rem confundere magis quàm explicare. Quod nunc professa operâ demonstrare non est ex proposito nostro.

§. XIX. Præcepta, quæ certis in statibus se exerunt, pertinent vel ad statum naturalem, eumque belli vel pacis, vel ad statum œconomicum, vel denique ad statum civilem. Sicut autem naturalis status sine socialitate à belluino haut distaret, ita præcepta quoque ejus eidem socialitati haut dubiè innituntur. Præceptum natu-

ralis status primum est, cum homines in eo sint æquales ( quo aspectu rectè dicitur §. 2. *7. de libertis* jure naturali omnes liberos nasci, & in l. 64. *D. de conditione indebiti* libertatem jure naturali contineri, conf. l. 32. *D. de regul. jur.*) pares tractandos esse ut pares, & nihil invitò alterò contra equalitatem faciendum: unumquemque etiam in res suas ac actus suos ( ceu quæ naturaliter insunt homini ut suum, ut ait H. Grotius 2. *de jur. B. & P.* 17. §. 2.) liberum jus habere, quatenus alteri jus in ea non est quasi suum. De quo præcepto pluribus egit Pufendorfius l. 3. *de jur. natur. & Gent.* c. 2.

§. XIX. Alterum est, cum in eo statu quilibet citra antegressum factum humanum sui juris ac nullius alterius hominis potestati subiectus intelligatur, præterea agendi potentiis à Deo sit præditus, licere quod non est vetitum: sive non prohibitum permissum censei. Cui consequens: licere res occupare, quæ nullius sunt, in usum tamen hominum à Deo conditæ. Unde oritur proprietas & varia jure in re, jus disponendi de rebus suis, & obligatio ex dominio. Hæc verò omnia fulcit & munit sola socialitas, neque opus est ut cum Grotio l. 2. *de jur. B. & P.* c. 2. §. 2. n. 5. & 2. c. 10. §. 1. n. 4. & Pufendorf. l. 4. *de j. N. & G.* c. 4. §. 3. & 4. & c. 13. §. 3. & 5. recurramus ad pactum tacitum sive præsumtum. Si enim licet res quæ nullius sunt occupare, & reas occupando nostras facimus, socialitas etiam citra pactum dicitur & munitur. Possent heic pluribus de domini effectibus, ex socialitate maximam partem resultantibus, agi, nisi ea opera jam ab aliis esset occupata. Unum addimus. Testamenta vulgo ad jus naturale referri; at non deesse, qui juri positivo ea simpliciter adscribant. v. Pufendorf. l. 4. *de j. N. & G.* c. 10. §. 4. sequ. Nobiliss. D. Textor *Synops. jur. Gent.* c. 8. n. 43. Et vir doctus de *Justis, B. & P.* in *statu Portugal. sess. 1. art. 1. quest. 4.* non dubitavit scribere: *Testamentum est saltim juris voluntarii ( licet ejus quod pluribus gentibus commune ) idque ex eo patet. quoniam est dispositio quadam, qua mortuò de munus disponente vivit capit ac incipit. Id verò naturaliter fieri non potest, nec dispositio aliqua incipere eo tempore, quo disponens amplius non sit. Deinde, cum testamentum valeat ac subsistat ex solâ unius acceptatione, id quoque juris positivum est, cum naturaliter nulla dispositio inter homines, qua de jure ab uno in alterum transferendo agitur, valeat nisi*

nisi utriusque consensu, adeo ut quamdiu pars altera nondum accepit, tota dispositio naturali ratione nulla sit, nullamque penitus vim habeat. Inde sequi ait: quod summi illi Principes, qui nullo jure civili sed naturali obligantur, ex testamento efficaciter non tenentur, nec in eorum prejudicium ea valere possint. Quibus reponimus primò, nisi recepta sententia admittatur, nullam etiam fore successionem ab intestato, cum & hujus fundamentum in voluntatis conjectura collocari solet. v. Pufendorf. d. l. 4. c. 11. §. 1. Deinde aliud est, mortuo disponente dispositionem incipere, aliud vò moriente. In testamento non prius fit, sed postestus. Rectè autem veteres Philosophi momentum moriendi (quo ultima voluntas vim ac robur nanciscitur) vitæ potius quam morti dandum censuerunt, v. l. 18. §. 1. D. de manumiss. testamens. Gellius 6. Noct. Attic. 13. Unde sequitur, testatorem in ipso mortis articulo res suas heredibus quasi tradere. Planè ut Theophrastus in testamento suo apud Lærtium l. 5. de vit. Philosph. Rectè quidem fit. Sed si quid secus accideris, hac ita statuo. Domesticam omnem supellestem Melanti & Pancreonti Leontis filii trado. Postremùm, ut acceptatio ab herede in continenti fiat, non est necessarium: nihil enim vetat, quò minus ea ex intervallo sequatur, modo alter interea non possit pœnitere.

§. XX. Consequens est porro, non tantum licitum in vitâ humanâ sed & quotidianum ac summè necessarium esse usum cum sermonis, tum aliarum rerum actionumque, quibus inter homines aliquid significatur. Enimverò rectus sermonis aliorumque hujusmodi signorum usus non tam in pactò tacitò, quàm in socialitate ipsâ fundatur. Cum enim vocabula notæ ac signa ad id fuerint reperta habeanturvè, ut iis velut instrumentis homines animi sui sentia aliis patefaciant, vanum verò hoc institutum esset & illuderetur alteri, qui obligato, ut ex animi sententiâ loqueretur ageretve, receptis vocabulis ac signis utenti bonâ fide credit; à socialitate ipsâ satis profectò erudiri:ur, ne alium, cui jus est ut animi mei sententiam liquidò debeat intelligere, eò modò lædamus. Hinc Cicero de inventione veritatem sive veracitatem partem justitiæ dixit. Atque ex hoc solo decidi possunt quæstiones varix de mendacio, falsiloquio, simulatione,



diffimelatione. quis habent Grotius l. 3. de jur. B. & P. c. 1. & Pufendorf. l. 4. de j. N. & G. c. 1.

§. XXI. Denique consequens est, licere pacisci & contractu. His enim adminiculis adjuti indigentia sæpe nostræ succurrimus, aut varia nobis commoda & ornamenta comparamus. Pactis verò & contractibus vis nulla inest sine socialitate. Fide enim, quæ ex pactis contractibusve oritur, non tantum respublica quælibet continetur, ut Cicero 3. de offic. dicit, sed & major illa gentium societas. Hac sublata, ut verè Aristoteles 1. Rhetor. 15. ἀνθρώπων ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων, tollitur quod inter homines est commercium. Itaque merito idem ille Cicero nefarium esse dicit fidem frangere, quæ continet vitam, & sanctissimum est, ut Seneca ep. 88. loquitur, *humani pectoris bonum.*

§. XXII. In societate domesticâ officia inter maritum & uxorem, Dominum & servum à pactis quoque pendent; quibus efficaciam & glutem addere socialitatem jam probavimus. Eadem quoque fulcit patriam potestatem. Quamquam de hujus causâ variâ sit disciplina, aliis in generatione, aliis in jure naturæ, aliis in præsumto consensu, aliis in divinâ concessione eam quærentibus; cum planius simpliciusque dici posse videatur, ut homo omnium suarum actionum est dominus, ita & totam illam actionem gignendæ sobolis hæcenus ita penes parentes esse, ut non tantum gignant sed & partum ad suam maturitatem perducant, donec species existat ipsis similis, & perfectum rationis usum habeat.

§. XXIII. Non possent etiam conservari singulæ civitates, sive singulorum imperia populorum, nisi aliquid esset, quod contineret universum corpus communi aliquo vinculo, quod non potest esse aut cogitari aliud, nisi socialitas, & ea subnixæ pactiones, quibus constari civitates alibi ostenditur. Unde simul patet rectè dici, crimen majestatis esse delictum contra jus naturale; & subditos ad jussa summi imperantis obeunda, jure naturali; sive, ut alii loquuntur, in conscientia obstringi. Pluribus hæc & alia diffundere possemus, nisi isthæc sufficerent, ut suoapte quisque ingenio plura superstruere queat.

§. XXIV. Cæterum quod H. Grotius etiam pœnæ meritum ex socialitate fluere dixit, concedi potest in societate civili.

At

Acti naturali status æqualitas, de qua supra egimus, pœnam propriè dictam, nimirum ut alter alterum, par parem puniat, non admittit. Qua de re cum adversus hypothesin Grotianam post alio præclare differuerit Pufendorfius, *8. de J. N. & G. c. 3. §. 7.* volumus nunc esse prolixiores.

DEO LAUS, HONOR, GLORIA.



## COROLLARIA.

1.

**T**utor regni etiam certo casu summam potestatem habere potest.

2. Partitio summa potestatis in personalem & realem est commentum.

3. E contrario illa in patrimonialem & usufructuariam, item in perpetuam & ad tempus delatam est genuina.

4. Hypothesis naturalis status & in prudentiâ civili & in iurisprudentiâ universali maximo est usui.

5. Christianus ab infideli rectè juramentum exigit.

6. In-

6. *Infamis iuramentum iudiciale licite defert.*
7. *In causâ fractæ pacis religiosa & Aulici Casarei iudicii iurisdictio fundata est.*
8. *Differunt superioritas territorialis & iura superioritatis territorialis, nec non regalia.*
9. *Divisio regalium in maiora & minora fundamentis non destituitur.*
10. *Ad servitutis præscriptionem titulus & bona fides requiritur, & non requiritur, sed eorum loco sufficit sola domini scientia.*
11. *Dantur servitutes personales anomala.*
12. *Quin & dantur servitutes jurispublici.*
13. *In actione negatoriâ libertas probanda, si adversarius est in quasi possessione servitutis.*
14. *Actio ex l. 2. C. de Rescend. vend. 30. annis tollitur.*
15. *Item actio injuriarum ex L. Corneliâ civilis.*
16. *Et actio recantatoria.*
17. *Adulterium juxta ius civile est concubitus cum alterius uxore aut sponsa.*

FINIS.



Vota Acclamativa Disputationi  
annexa.



*Non sit Prncipium Juris primum, Inclyte  
BAUER,*

*Quod das! ast Primas TU tamen  
inde feres!*

Ita de Virtute Prznobilissimi Dni BAUR ab Eyseneck,  
Consalini sui suavissimi pariter ac Doctissimi,  
ad-Gloriam Generosæ & Avitz Sux Gentis im-  
pigre grassantis, auguratur gratulando

Fridericus Nitzschius, D. Consil.

Hafs. & Prof. Publ.

**H**Abes, Generose Domine *Bauere*, quibus filius  
familix tuæ unicus inter æquales tuos glorie-  
ris, præclaram gentem, optimos tuique amantis-  
simos Parentes, ornamenta atque adjuncta Vitæ,  
capax ad addiscendas generis omnis disciplinas, vi-  
vidum vigorem. Accedit his non minor diligen-  
tia, quam intra tempus illud, ex quo apud nos  
egisti, non tantum mihi in audiendis, quæ ad po-  
liticam & Juris cum universalem tum Romanam

prudentialiam spectant, sed & honoratissimis Domi-  
nis Collegis meis probasti. Ejus specimen nunc  
exhibes praesentem Dissertationem, ut alias, ita  
nunc quoque quantum valeas in publico masculè  
ostensurus. Quod ut feliciter & ex voto procedat,  
excultoque amplius quemadmodum bene coe-  
pisti ingenio, gentem tuam nobilissimam multum  
illustres, egregia inclutæ Patriæ ornamenta adferas,  
Generosis Parentibus magnò sis gaudio, denique tua  
emolumenta insignitur cures augeasque, ex animo  
apprecor. Scribebam festinanter Gießæ 12. Aug. 1694.

PRÆSES Disput.

*Juveni Genere, virtute & eruditio-  
ne Nobili & Prestantissimo, iisque nominibus  
sibi carissimo,*

**DN. JOH. CAROLO  
BAUR ab EYSENECK,  
Bernh. Ludov. Mollenbec. D. & P. P.**

*felicitem.*

**B**ene, nec sine applausu, res tuas geris, qui variis,  
non Philosophia saltem, eam puto, qua de Moribus  
& Republicâ disserit, sed & jurisprudentia, sub meo  
quali-

qualicumque ductu & prasidio, editis speciminibus, de-  
nuò in publicum prodis, & de Socialitate juris Nat.  
fundamento eruditè disputas. Ita non superficialiam,  
sed veram solidamque omni cogitatione & curâ TE  
doctrinam ambire, & egregius in amplâ statione Viris,  
olim associari posse ostendis. Perge in hoc tramite, ut  
soles, feliciter; Ego uti de laudabili conatu ex animo  
gratulor, ita DEUM sollicitè precor, ut, quod in te  
coepit, bonum perficere, & toto legitimo opere perfectò,  
eas in Republicâ gubernanda Tibi concedere velit par-  
tes, unde multum gloria in Sanctissimum ipsius Nomen,  
emolumentum in Patriam, gaudij denique & honoris, in  
TE pariter ac Familiam tuam Nobilissimam redun-  
det. Giesse XII. Aug. 1694.

ET Patri & Patruo Illustri similem fore quondam  
Te, Generose probas Bauer, dum Praside magno  
Magnâ laude Te Sociabilia iura meris,  
Virtutis socium ac animal sociabile sic Te  
Ostendens facile. Pulchris Ego gratulor aulis,  
Fortibus utque satus fortes imiteris, adhortor.

Generos. T. Nobilit.

addict. II.

Justus Frideric. Dillenius, Doct. Me-  
dicus & P. P. Ordin.

**N**aturam statuis leges primum tribuisse  
 Pro socio, sine quo jura fuisse negas.  
 Vera doces, gravis est res, ast ostendit acumen;  
 Sequantur, voceo, gloria, fructus, honos.  
 Hac meo Musa canit, teneros mirata lacertos,  
 Quos non detrectas subdere huic oneri.  
 Quid si tam juvenis duros tot adire labores  
 Audes? Quid tandem si tibi sera dies?  
 Vive, precor, saltem, mea mens non faller, opinor:  
 Laudi eris ipse Tibi. Vive, farveque mihi.

His Tibi Generose Domine Respondens amicæ mez  
 mentis sensa expressi

ad omnia paratissimus

J. C. Dunckerus, T. M, T. S.

